



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Aphorismi Confessariorvm Ex Doctorvm sententijs collecti**

**Sá, Manuel de**

**Coloniae, 1610**

Capitulum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41645**

non habet ordinarium campforis officium,  
sed ex occasione oblata facit.

\* *Tol. l. c. c. Si. num. 9. ex Sot.*

6 Etiam in eodem regno licet cambium per  
litteras, etsi id lex aliqua prohibeat; præsumit  
enim fraudem: quæ si absit, non intendit pro-  
hibere. Idemque dicendum de cambijs omni-  
bus alioqui licitis, aut cambiorum licitis con-  
ditionibus, si lege aliqua prohibeantur: ces-  
sante enim fraude quam lex præsumit, fieri  
possunt: nisi ex ipsa lege vel consuetudine  
constet oppositum.

\* *Nau. l. c. nu. 290.*

7 Cambia dubia si facta, non condemnanda;  
si facienda, non approbanda.

8 Cambium quod fit sustinente campforis  
procuratore duas personas in nundinis, scili-  
cet creditoris, & debitoris, quod vulgo dici-  
tur: *Collaricorsa*, est à Pio V. approbatum, in  
Bulla quadam data ad Bononienses.

CAPITVLVM, VIDE  
*Beneficium.*

1 **C**apitulum, sede vacante, succedit Epi-  
scopo in iurisdictione ordinaria: itaque  
potest absolvere, dispensare, statuere, inqui-  
rere, visitare, & dare indulgentias, vt Episco-  
pus. Non confert tamen beneficia: id enim  
Papæ est reseruatum, *secundum declarationem*  
*Congregationis Concilij.* Nauarrus autem ait,  
C posse



posse quidem conferre illud, cuius collatio ad ipsum, & Episcopum communiter pertinebat, non autem si pertinebat ad Episcopum cū Capituli consensu, aut consilio; quod videndum est, an sit vsu receptum.

\* *c. Cum olim. cap. His, quæ de maior. & obed. vide Fum. Capitulum 2. & Absoluere & Syluest. Capitulum 2. & Indulgentias & Sylu. l. c. quod Sot. negat d. 21. q. 1. artic. 4. quia, inquit, potestatis episcopalis est. & Nauarr. & l. 3. conf. 20. de præb.*

2 Vocem in Capitulo non habet, qui non est Subdiaconus. *Ex Triden. Conc. sess. 22. cap. 4. de ref.*

3 Cum requiritur Capituli consensus, vel præsentia, potest ad id aliquos sui loco deputare.

4 Quod à maiori Capituli parte fit, dicitur, secundum Baldum, fieri de consensu vnanimi seu concordati Capituli. *Vide Tabien. verba Concord.*

\* *Vide Fum. l. c. nu. 3. 4.*

5 Capituli debitum non censetur debitum singulorum.

\* *Vide Coua. in e. Requisisti, de testa. nu. 10. doctentem, legatum Canonicis relictum non ipsi, vt singulis, sed collegio, vt diuidatur, eo modo; quo alia bona collegij, dandum esse. Addit. & Capitulum, Sede vacante, non dat dimissorias, ex Trid. sess. 7. c. 10. de ref. sed dispen-*

fat



fat cum illegitimo ad minores, & ad simplex beneficium: vide *Nau. conf. 44. de temp. ord.* & *conf. 7. de fil. presb. cogit vltimarum volūtatum executores ad eas exequendas; imò exequitur ijs negligentibus, Cou. in c. Io. de testa. nu. 2.* Assistit matrimonio vel alicui Sacerdoti licentiam dat; quia succedit in ordinaria Episcopi iurisdictione ex *c. His, quæ de maio.* & *obed. Sanchez l. 3. d. 28. concl. 3.*

## CASVS FORTVITVS,

*Vide Commodatum.*

1 **N**emo tenetur ex damno accidenti casu fortuito, nisi culpa præcessisset in illum aliquo modo ordinata, seu directa, aut mora restituendi id, quod restitutum non perisset, aut pactum, vt etiam in tali casu teneretur, quamquam etiam non obstante pacto vtendum est æquitate; non tenebitur autem si casus accidit ex culpa eius, cui ex pacto alioqui debebatur.

\* *De hac re Mol. d. 293. Nau. c. 17. num. 178.*

\* *Vide Sylu. eo. ver. nu. 1. Fu nu. 2. & ver. commodatum 7.*

2 Ad mutuum perditum casu fortuito, teneris, quia in te translatum est, per mutuum, dominium.

\* *Nau. c. 17. num. 185.*

3 Mandans tenetur de damno ex casu fortuito, si probabile erat euenturum, aut mandata